

Prot. n. 30265/99 CA

N

Dimissionis

Restitutionis in integrum

(Rev. Soror X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

In causa de qua supra,

Reiecta a Congressu, die 30 m. Octobris a. 2003 habito, petitione restitutionis in integrum adversus sententiam definitivam die 15 m. Decembris a. 2001 ab. H.S.T. prolatam, cum «in casu ne indicium quidem appareat alicuius motivi, propter quod ad normam can. 1645 restitutio in integrum peti» possit;

Considerato quod contra hanc reiectionem Rev. Recurrentis Patronus die 30 m. Novembris a. 2003 ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum recursum interposuit, quin motiva recursus tunc exponerentur;

Viso decreto die 11 m. Martii a. 2004 ab hac Signatura Apostolica lato;

Attenta instantia diei 4 m. Octobris a. 2004 quacum Rev. Recurrentis Patronus contendit se proponere «la mia richiesta di una restitutio in integrum», et quidem pertinentia argumenta;

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Cum autem instantia de qua supra nulla motiva recursus adversus reiectionis decretum diei 30 m. Octobris a. 2003 afferat, quin immo nec illius decreti mentionem faciat neque illud ullo modo consideret;

Salvo et firmo decreto die 11 m. Martii a. 2004 ab hac Signatura Apostolica dato;

decrevit:

«Instantiam diei 4 m. Octobris a. 2004 reiciendam esse atque facto reici, quia proponi non potest».

Pro expensis retineatur summa 100,- EURO.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

E Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 m. Novembris a. 2004.

✠ AUGUSTINUS VALLINI, *Praefectus*

✠ VELASIUS DE PAOLIS, c. s., *Secretarius*